

Sic minor postulanda est a rudibus quam a doctis, ab eo qui a mense quam ab eo qui a toto anno non est confessus, ab eo qui vitam a periculis peccati satis remotam dicit quam ab eo qui plurimis hujusmodi periculis implicatur, etc. Praecipue parcendum est infirmis in mortis periculo versantibus. Probabilis enim timor damni gravis excusat ab integritate confessionis, ideoque etiam ab examine quod ad eam assequendam instituitur. (n. 294) Cavendum quoque ne tales aegroti, rarius confiteri soliti, confessionem suam in hoc periculo diutius differant, inani timore difficultatis quam in praeparanda confessione experturi sint. Confessarii igitur erit eos suaviter, sed instanterhortari ad se quamprimum cum Deo reconciliandos, promisso auxilio suo, quo res expeditissima fiat. Nullum enim incommodum in eo est quod forte hic et nunc integritas materialis non obtineatur, dum summum aeternae damnationis periculum e dilatione sequi potest. (Elbel, Theol. Sacr. p. 2. n. 153)

3º Nemo tenetur ad scribenda peccata sua. Nam, praeter rationes n. 292 in casu simili allatas, patet hanc fore diligentiam summam, quae non praescribitur. Haec praxis neque consulenda, neque vituperanda videtur: sed permittenda, cum debitum cautelis, iis qui ita majorem animae pacem nanciscuntur.

4º Suaderi potest iis qui jam a satis longo tempore confessi sunt et merito timent ne plura peccata mortalia admiserint, ut sese examinent primo de praecceptis Dei et Ecclesiae, deinde de vitiis capitalibus, tandem de obligationibus cuiusque status propriis. Reliquis generatim proderit brevius examen de iis peccatis in quae, experientia confessionum praeteritarum, norunt se crebrius labi. Quibusnam methodis juventur viri pii et ad perfectionem tendentes, explicant Ascetae.

303. III. Ut ob defectum examinis graviter peccetur, necessarium est ut poenitens saltem in confuso *adverterit* imminentem periculum omitendi peccati mortalis, nisi diligentius se examinet et nihilominus, nulla aut peregrina diligentia adhibita, ad confessionem accedat. Ratio patet e principiis generalibus datis de peccatis negligentiae. (Vol. I. n. 20)

Hinc appareat raro contingere ut ii qui cum bona voluntate ad confitendum accedunt, graviter peccent ob solum examinis defectum: nam fere numquam ad hanc gravitatem satis attendunt.

IV. Si quis poenitens accedit, nullo vel insufficiente examine praemisso, is benigne jubendus est ut congruum pro sua capacitate examen praemittat, quando hac ratione sperari potest melius servatum iri integritatem, quae vix non necessario aliquod detrimentum pateretur si poenitens imparatus a confessario interrogaretur.

Attamen generatim DD. consentiunt vix umquam dimittendos esse rudes et ignaros qui, insufficiente examine facto, ad confessionem accident: quia, etiamsi millies remittantur, numquam melius se examinabunt, nec poterunt ita bene dicere peccata sua sicut nunc si ab ipso confessario, mediocre diligentia, interrogentur. Quod admitti potest, ob eamdem rationem, etiamsi confessarius advertit poenitenti rudi necessarium esse confessionem generalem de tota vita. (Lugo, disp. 19. n. 593) Praeterea ii quoque qui videntur doctiores raro in praxi dimittendi sunt. Nam fere non accident imparati, nisi ii qui in rebus religiosis valde neglegentes sunt vel etiam ignorantes. Quare, nostris saltem temporibus, probabile periculum est ne hanc dimissionem velut magnam injuriam reputantes, a sacramento poenitentiae jam penitus abstineant. Cfr. n. 370. Praestabit ergo plerumque ut confessarius eos interrogationibus suis disponere conetur. Ut autem tollatur vel minuatur consuetudo qua multi examen conscientiae ante confessionem neglegere solent, proderit ut in catechismis et contionibus obligatio hujus examinis pro iis qui rarius confiteri solent, diligenter proponatur; pueri autem methodum confitendi accurate doceantur, et a confessariis objurgentur vel dimittantur si quando imparati accidunt.

§ 2. DE RELIQUIS CONFESSIONIS DOTIBUS.

304. Praeter integritatem, multae aliae dotes a S. Thoma (Suppl. q. 9. a. 4) pluribusque AA. requiruntur: quae tamen ex aliis hujus sectionis locis satis intelleguntur. Nos cum Busemb. (ap. S. Alph. n. 493 seqq.) tres tantum recensemus. Nempe confessio debet esse:

I. Vocalis. Huic tamen condicioni plane satisfit ab eo qui confessario porrigit schedulam in qua peccata sua scripsit et, postquam confessarius eam legit, subjungit: *De his omnibus me accuso*, vel similia verba. Obligatio confessionis vocalis non colligitur e natura sacramenti vel lege scripta, sed tantum e constanti Ecclesiae consuetudine.

Cissent communiter DD. (Bus. l. c.) *graviter* peccare eum qui absque ulla causa vellet tantum per nutum vel scripturam confiteri; addunt tamen plures (Lugo, disp. 15. n. 86; Ball. P. n. 453) deesse rationem convincentem qua de gravitate hujus culpae constet. Frustra de hac re disputaretur, cum casus videatur metaphysicus. In praxi tollitur omnis difficultas: eo quod communiter admittunt DD. id fieri licitum ob causam gravem (Lugo, l. c. n. 85), vel rationabilem (Suar. disp. 21 sect. 3), puta ob nimiam verecundiam, linguae impedimentum, etc.

II. Secreta seu soli sacerdoti facta. Haec condicio est de praecepto quoad sacerdotem qui tenetur ad secretum servandum (n. 382), neque publicam confessionem imponere potest. Poenitentem vero nulla urget lex divina vel humana ut secreto confiteatur. Attamen, propter Ecclesiae consuetudinem, non careret culpa qui, sine ulla occasione vel causa rationabili, vellet alio modo sacramentaliter confiteri; at, si id fiat ob necessitatem, nulla erit culpa. (Suar. l. c. sect. 2)

III. Vera. Hoc requiritur essentialiter in materia substantiali et necessaria, quia alias in re gravi deciperetur judex, neque esset confessio integra, ideoque irrita. Non tamen in materia libera: tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam; tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter injurius sacerdoti nec sacramento. (Bus. ap. S. Alph. n. 495) Hinc:

1º Non peccat mortaliter qui in confessione mentitur circa res non pertinentes aut non necessarias ad sacramentum, ex. gr. narrando historiam falsam, vel qui se falso de aliquo veniali accusat. Manifestum est peccatum graviter qui, in hoc posteriore casu, nullum aliud peccatum accusaret: sed vix id fieri poterit.

2º Sacrilegum confessionem instituit qui mortale, quod confiteri tenetur, sciens volens negat vel tegit ne intellegatur; — qui mortale sibi falso imponit, nisi, ut plerumque contingit, id faciat animo perturbato, ad majorem securitatem habendam: quod saepe qualibet culpa vacat; — qui negat vel mentitur circa peccata alias absoluta, ubi confessarius de iis aliquid interrogat quod gravis sit momenti et necessarium scitu ut confessarius, in praesenti confessione, munus suum rite exercere valeat, puta de consuetudine peccandi. Ratio in duobus prioribus casibus est: tali mendacio variari in re gravi judicium confessarii; in tertio casu: sic impediri confessarium quominus exerceat munus medici quo fungi debet. (n. 286)

Per se non est illicitum quod quis habeat duos confessarios, quorum alteri prius confiteatur mortalia, alteri postea sola venialia. Licet enim alter confessarius erraturus sit, existimans poenitentem haec tantum peccata ab ultima confessione admisisse, nullo tamen mendacio haec deceptio procuratur. Graviter peccaret is tantum qui ab uno ad alterum tenderet ut liberius peccaret, neque a proxima peccandi occasione arceretur. Laudabilis vero foret qui subinde ad alium confessarium tenderet, quando in graviora prolapsus est, ne sacrilege peccatum prae pudore reticeret. (Lugo, disp. 16. n. 57; Bus. ap. S. Alph. n. 471)

QUAER. Num poenitens teneatur ad distincte accusanda peccata quae confessario jam aliunde extra-sacramentaliter nota sint, puta e

narratione ipsius poenitentis, propria experientia, etc. an sufficiat ei se universim accusare de peccatis illis quae aliunde confessarius norit.

RESP. Haec generalis accusatio certe sufficit quando confessarius distinctam horum peccatorum memoriam servat; ubi vero manet eidem memoria confusa tantum, puta dum recordatur sibi narrata esse multa peccata contra castitatem et religionem, quamvis de numero et speciebus multa exciderint, utrumque probabiliter controvertitur. Censem S. Alph. (n. 502) tunc requiri distinctam accusationem: quia secus peccata non accusarentur singillatim, ut vult Trid. jubens omnia et singula peccata in confessione sacramentali explicari. Verum Lugo (disp. 16. n. 638), Ball. R. (n. 468 seqq.) aliique opinantur sufficere accusacionem illam generalem: quia ita habet usus universaliter receptus, qui nulla lege erroneus esse convincitur. Nam nullibi in Trid. leguntur ea verba quibus innititur S. Alphonsus. Aequivalenter autem habetur accusatio sacramentalis distincta, quatenus "posterior accusatio, relata ad memoriam quam habet confessarius de illis peccatis distincte prius auditis, fit sufficiens notitia, qualis in confessione desideratur." (Lugo, l. c.) Hi tamen supponunt confessarium dirigi illa notitia confusa, quae ei maneat e priore cognitione distincta, non autem quae ei tantum a poenitente suppeditetur: nam, in hac altera hypothesi, nihil referret praecessisse distinctam cognitionem. Cavendum quoque ne, ob illam confusam tantum memoriam hic et nunc remanentem, omittantur partes notabiles muneris confessarii, puta monere de obligatione relinquendi proximas peccati occasiones.

Ex his quae modo exposita sunt liquet minime requiri ut confessarius distinctam notitiam peccatorum servet usque ad absolutionem, seu haec statim confessionem sequitur, seu ob aliquam causam differtur.

§ 3. DE ITERATIONE CONFESSIONIS INVALIDAE.

Punctum I. De iteratione et confessione generali necessaria. (1)

305. I. Numquam datur stricta obligatio iterandi confessionem nisi moraliter certo constet eam fuisse invalidam. In dubio enim standum est pro valore actus (S. Alph. n. 505) Nec timendum de salute illius, qui forte invalidam confessionem bona fide non iteraret: nam statum gratiae recuperabit probabilius cum attritus ad S. Communionem

(1) Cum generalis confessio nihil aliud sit quam plurimum confessionum iteratio, simul de utraque, brevitatis causa, agemus.